

This is the prefatory letter to Martin Cellarius' *De operibus Dei* (Strasbourg: Herwagen, 1527), pp. 2r-[7r]. Printed in QGT VII, 116-21.

V. Fabricius Capito pio lectori gratiam et pacem optat per Christum Iesum Dominum nostrum.

Fecit iter hac nuper Martinus Cellarius, homo Dei praecipuoque praeditus Spiritu. Is dum accepisset huius ecclesiae conditionem modumque revelationis, qua per gratiam Dei, quomodocumque pollet, consilium cepit, nobiscum, de fide ac dogmatibus quibusdam conferendi. Annuimus facile, convenimus, egimus inter nos, et de gloria Dei praeclarius hac aetate revelanda, ultro citroque non pauca contulimus. Adeoque uno atque altero colloquio, magna quidem luce, ut mihi videtur, disseruit, de fide praedestinationis, de discrimine inter vasa, electionis et reprobationis, de semine Dei et electis, de perseverantia sanctorum, de salutis certitudine, de Spiritu Sancto, de natura et ratione filiorum Dei, et id genus aliis, qualia nos ecclesiis quoque iuxta modum fidei nostrae utcumque confirmabamus. Adiecit alia quaedam, ut sunt, evangelii revelati tempora, modus et generalitas prophetiae, excidium impiorum, et quae sunt generis eiusdem, quae partim ex collatis scripturis facile agnovimus, partim, quia, videbantur et sunt, ad aedificationem in Deum et analogiam fidei spectantia, consonaque scripturis, refutare non sustinuimus, etiamsi captum nostrum superarent.

Oravimus itaque universam fidem ac revelationem suam, ordine conscriptam, diiudicandamque libere nobis exhiberet. Interea quae nobis de bonitate Dei constiterunt, in vicem candidissime participavimus. Quarum rerum documenta, non ita pridem ex unctione, haud obscure praenoverat. Accepit nos placide, sumptoque spacio cogitandi, singula diutine secum ad fidei trutinam dependit. Comperit, revelante Domino, rem esse sicut nos proposueramus, imo dilucidius, quam nos, verum inspexit, persuasumque habuit, ad gloriam Dei proferendam eadem factura. Exuberanti prorsus gaudio propter fidem mutuam similemque Dei cogitationem¹ tum perfundebamur. Utrique de alterius fide et gratia Dei erga ipsum certiores facti sumus. Qui consensus in Domino amicitiam, iunctissime conciliat, fovet, conservat. Gratulamur nobis adversusque Dominum impendio gratiam habemus, qui nobis contulit hoc lucis, hunc spiritum, hanc in Domino concordiam. Igitur hunc libellum, nostro tantum usui ille mox conscripsit, censendumque exhibuit. Nos acceptum, cum iudicio legimus, expendimus, approbavimus, nisi nobis imposuit forte, aut amicum hominis pectus, quod charitatem in omnes abunde spirat, aut ardor ad gloriam Dei quo tenemur, ad quam omnia maxime, quae dicit, quadrant. Putamus enim libellum esse non solum utilem, sed necessarium vehementer his temporibus ad contentiones componendas, ad delendas sectas, ad odia restringenda, quae inter electos modo acerrima desaeviunt. Nemo fidem praedestinationis, quantum sciam, grandius detonuit, qua concepta, libertas arbitrii quae est verae religionis pessima pestis, tanquam insomnium semel evolat. Nemo spiritus arrabonem, in corda electorum diffusi, certius indicavit, unde solatia certissima, qui malis oppressi sunt, expromuntur. Nemo perspicuis notis, vel mediocriter spiritualium rerum perito, dilucidius declaravit (nam verum fateri sine invidia liceat) quis nam sit electus in utero, quatenus quisque spiritum obtineat et quam charitatem erga fratrum imbecillitatem exercere conveniat, hoc est, infinitam, assiduam, inexpugnabilem. Ex quo capite spontanea charitatis officia ubertim fluunt. Quotus enim quisque illum amat negligenter, quem persuasum habet, sibi fratrem esse, eiusdem gloriae participem, eiusdemque corporis Christi membrum individuum? Nemo denique per involucra prophetarum compendium quo recta itur ad arcem intelligentiae,

¹ Corr. ex: cogitationum.

sicut hic noster demonstravit. Nam ad unum quidem omnes, aut de saeculum cuiusque prophetae pleraque continuerunt, aut in minutias integrum cohaerentemque spiritus contextum divulserunt. Hic noster autem, nam nostrum libenter nomino, quem Dei esse certum est, totum sensum Christi, qui in illis latet, ex partibus ordine saeculorum exhibitis, felicissime in totum ac
45 summam expedit, eo ordine ac luce, ut mihi videor e primo statim colloquio eius, maiorem vim ac rationem intelligendi, concepisse, quam aliquot mensibus improbo legendi labore, ex libris, quos optimos tamen, in hebraea praesertim lingua habeo, vel sperare licuisset.

In summa: Quia nihil ex ociosa questione, more Anabaptistarum protulit, sed omnino usus gloriae Dei et sensus eorum, qui ex Spiritu renati sunt, ita est, ut asserit, et sic esse pii
50 omnes, qui legunt, fateantur, oportet, quia quicquid errorum aut motum est, prope dixerim, movendum instat, luculenter discussit, confirmataque fide praedestinationis magnopere salutarem veritatem stabilivit, ad quam ceu lydium lapidem spiritus explorent, qui sunt cognituri an sint ex Deo nec ne. Visum est itaque in publicum conducere, si inopia degravatis tanti thesauri copiam faceremus. Quare nobis efflagitantibus, ne donis tantis fraudaret ecclesias diutius
55 caelando, quae in commodum aliorum a Domino accepisset, annuente sibi Domino, facile annuit. Proinde praelo, opus hoc excudendum, continuo subiectum est. In qua re, auctori fortassis parum consultum est, qui duritiem stili, si quae ex insolentia incidit, levi opera committigasset. Foetura enim prima est, eaque inchoata, rudisque adhuc, cui mollitudinem, dies, cura postera, manusque refigentis indidisset. Verum enimvero, piorum interest, quam primum cognoscere, posthabita
60 dictionis elegantia, quod ad gloriam Dei vere pertinet, ut hic libellus maxime pertinet, ad haec materiae difficultas, ut est, sine affectione perspicuae elocutionis atque densissime significanterque tractata, lectoris industriam per se remoratur, eoque singula mentem cogitatione insistentis, penitius feriunt, quam si volubili dictione conscripta, ad calcem semel perumperetur. Nam cordi non linguae haec scribuntur, neque ut semel legantur, sed ut in omni vita, vivide
65 exprimantur, donata sunt.

Hic in tempore moneo, oro obsecroque, ut electi dent operam, ne quid temere, quod ad religionem attinere putatur, neque probent, neque improbent. Utrumque vitiosum est et in utramvis partem proclivis est lapsus. Etenim foedum ex aequo est, nihil cuiquam et cuivis omnia credere, sed in alterum vitium alterius fuga ducit, si moderatione spiritus caret. Vehementer turpe
70 est, omnes amplecti doctrinas promiscue, esseque pecus, quod dividuam unguam non habeat, neque remandat ingestum semel cibum. Atque haud scio, an magis culpanda sit, illorum iniquitas, qui quod facultatem ipsorum excedit, aut quod ipsorum nomine non docetur, diris modis execrantur, et tamen, ut dixi, vulgo utrinque fere peccatur, quod natura sic sit comparatum, ut facilitatem credendi levitas, cautionem, quae non intellegis condemnandi calor
75 comitetur. Quamobrem Paulus admonet: *Qui non vescitur, vescentem*, inquit, *ne iudicet*. Et rursus: *Probate Spiritus num ex Deo sint* [1 John 4:1]. Quibus sententiis prohibet a nobis tam reprehendendi petulantiam, quam celeritatem credendi quidvis. Ergo sequamur hoc tempore, quod est perfectae revelationis, Spiritum consilii, qui per gradus mature promovet ad sententiam dicendam, qui appendit omnia, diiudicat omnia, explorat omnia, idque ad modum fidei, hoc est,
80 observat, quantum gloriae Dei, quantum abnegationi nostri, quantumque aliis ad fidendum Deo conferant. Neque prophetantibus, odiose obluatur, nisi dum per obsignationem Spiritus certo novit, ea dogmata gloriae Dei derogare, quam filius, qui est in sinu patris, demum enarravit. Neque vero magnopere dubito, quin viri aliqui excellentes, tam opinione doctrinae, quam exstimatione spiritus, haec sibi fortiter expugnanda desument, quamvis ad gloriam Dei, ad
85 mortificandam carnem, ad solatium afflictorum omnia faciant. Quos Dominus in hoc immittet, ut video, quo in pugna minores, ex eventu tandem discant, quam procul absint a scopo, adeoque

admoneantur ut cum timore Domini, moderate verecundeque versentur apud electos, in quorum fidem imperium sibi modo perperam vindicant, praeiudicareque moliuntur, Spiritui Sancto, quasi in ipsos energiam docendi totam exhausisset. In eam iniquitatem intruduntur, tam amore sui, quam falsa illa persuasione, qua putant summam se consecutos, quam Paulus tamen ingenue fatetur se nondum esse consecutum. Suaves scilicet homines, scintillam illam veritatis vix dum subgliscentem, absolutam lucem revelationis esse asseverant. Sed falluntur, ut dixi, amore ac veneratione sui, quae confidentes animos, caeco esse iudicio facit.

Postquam nondum a maximo usque ad minimum Dominum cognoscunt. Nondum corda patrum in filiorum animos coaluerunt. Nondum filii et filiae nostrae prophetant. Quandoquidem ex parte cognoscimus, ex parte prophetamus, ubi venerit quod perfectum est, tunc quod ex parte est, abolebitur, prophetiae partiales, linguae diminutae, scientiae imperfectae, partes reliquae omnes, venturo toti penitus concedent. Quod quidem a bonitate ingenii non pendet, sed a conscientia suae vilitatis, a vocatione, a gratia Dei omnino dependet. Nam non multi sapientes huius mundi etc. Cave, satur fueris, verum ad ea, quae a fronte sunt enitens, iuxta praefixum signum insequitor ad palmam supernae vocationis Dei, per Christum Iesum. Quotquot itaque perfecti sunt, hoc sentiunt, in cognitione Dei subinde pergunt, et hoc magis in assensu contendunt, quo remotius a terra evaserint in altum. Iam quicquid est, et potest Deus, infinita inexhaustaque scriptura complectitur, adeoque modis omnibus perfecto homini, semper deest, in qua re deinceps perficiatur, quam spiritus, suo cuique tempore, dum proderit, revelabit.. Neque propterea Deo minus sum charus, quod ad secretos amplexus cognitionis suae nondum admittor, multaque in scripturis tarditatem meam fugiunt. Hoc scio. Nihil esse in scripturis, quod vivo sensui fidei meae repugnet. Pleraque tamen partim cognosco tenuiter, partim prorsus ignoro, partim quod peius est, secus accipio, doceoque alios, quam sint a spiritu dictata. Quod fit, propterea quod nihil nescire videri volo, locisque mihi familiaribus, quibus regno, inepte ac frigide inservio et omnia velint nolint inservire cogo. Quid igitur? Insaniam ne propterea, quod puer aliquis prodit, me Rabino tanto, scientia spiritus instructor, qui quidem et possit et soleat, omnia syncerius, quam ego discernere atque componere?

Profecto haud feram inique, nisi Dominus hanc mentem eripiet. Id ne fiat, cavebo sedulo, ne quid per contentionem et praefractius, neque quaelibet in quemlibet petulantius. Qua quidam intemperantia corrupti, iudicis iram in se concitant. Electi enim, ne mireris, impingunt saepenumero, abeuntque in preceps, quod vocationem anteverunt, aut quia de se benignius sentiunt, et alios sentire volunt. Utraque enim lues piis mentibus insidiosa instat. Qui in civili causa, re bene inspecta, cautim ac timide pronunciat, is raro fallitur. Multo minus nos in fraudem veniemus, si moderato examine rem diutine pervestigantes, nihil definire sustinuerimus, quod spiritus in nobis, motusque ille atque incita vis quae ad gloriam Dei pertrahit, praeclare non iubet. Porro electum Dei nihil perturbet, si maxime Iuda et Ephraim, hoc est, populus Dei inter se odiis acerrimis digladiantur, nam ita fieri tam diu necesse est, donec manifeste veniat, qui pacificabit omnia in sanguine suo. Inscitia et ignorantia Christi coniunctissima unius corporis membra, ceu morbus aliquis dirimit, qui rursus unum Christum, ubi perfecte revelatus fuerit, sibi in caput praeficient, inter se coalescentes arctissime. Interea, sicut sub regibus Israel a Iuda, ita inter nos, electi sub tot capitibus ac ducibus distinemur, quot sunt ubique gentium, qui sibi ius magisterii asserunt, spiritusque amplitudinem, quisque ad fidei suae modulum cohibere student. Ergo et nostrum nomen, si quod est, et aliorum, quicumque in precio habentur, Dominus cito perdet, quo Christi sui gloriam, per quem, et in quo omnia reparantur, in apertum celerius perducatur. Quod ut propere fiat, opto, imo scio, propediem fore, aut potius coram iam nunc videre videor, quam sint inglorii futuri omnes, quos vulgi vanitas, laudibus vehit, detrahit potentes de

sedibus, ut humilem Christum suum exaltet. Quin hoc opus Cellarii nostri, quamlibet egregium et
135 Bucerii Matthaeus, qui multa supra vulgi iudicium sobrie docet, item Hoseas, Malachias et Ionas
noster, in quibus pro mediocritate nostra, quae Dei et veritatis sunt, prosequeremur, non alieno
nimium genio a phrasi Cellarii – opera, inquam, nostra cum suis autoribus, hoc est, nobiscum, ut
est hominum conditio, omnia cadent ac interibunt, nobis volentibus. Hoc scimus et scribimus
tamen, in praesentem duntaxat usum, dum maiora Dominus revelabit, sicut hac aetate omnino
140 revelaturus est, ubi ipse suos pascet ac ducet, depositis plane umbris in lucidissima veritate.
Scientia enim Domini sicut aqua opplebit terram, hactenus parcius et paucis ea contigit.

Interea vale et sustine Dominum per tolerantiam animi, in Christo Iesu qui te confortet.
Amen. Argent. 12 Iulii anno 1527.